



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Marcellus Episcop. 3. Novemb.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

S. MARCELLUS Episcop.

3. Novemb.

*Beatus qui non iudicat semetipsum  
in eo, quod probat. Paul. ad Rom. 14*

**M**ulti Thyrsigeri, pauci Bacchi, vinum  
perdunt multi, pauci faciunt. Mirus in  
hoc Marcellus Parisiensis fuit, cui in manu,  
prodigio divino, vitis gemmas primò, mox  
flores momento protulit, & uvas, unde vi-  
nū expressit. quin & loturus Episcopo suo ma-  
nus, vinū ex Sequana hausit, ejus virtutis, ut  
calix unus sufficeret totius populi sedandæ siti  
nec sic caretur vasculū, ex quo multi etiam æ-  
gri (non ut modò noxiè in symposiis propina-  
tur) verè sanitatem bibere. Tam eminentem  
virum proin meritò patria sibi præesse voluit  
pastorem. Mortua est eo Episcopo, quàm ge-  
nere, tam adulteriis famosa mulier. At glo-  
riosè sepultæ superbum tumulum adrepens  
ingens terpens, præsentibus infelicis agnatis  
subiit, idemque venenosus prædator, velut è  
macello, paulò post, retulit insigne carnis  
frustrum demortuæ ex sepulchro. Rei scœdita-  
te attonitis omnibus, Marcellus Episcopus se  
sequi populum ad monumentum jubet: jam-  
que cornutus ad culinam suam draco revol-

U

veba-



vebatur, cum Sanctus prævia oratione occurreret, bestiamque, dejectâ caudâ quamvis supplicem, ter virga percussam, appenso capiti ejus Evangelio, multo spectatore enecat. At quis adulterorum animæ vermem in inferis necabit? *Ex Feuchtio.*

## MEDITATIO.

### *De bona, & mala conscientia.*

1. **I**ucundiùs nihil est, quàm bene actæ vitæ conscientia; qui sibi benè conscius est, semper lætatur, qui malè, nunquam. Accusetur, puniatur justus, solâ benefactorum conscientiam recreabitur magis, quàm impius plausu, & laudibus mordente conscientiam.

2. Conscientia malefactorum supplicium gravissimum est; ea quippe accusat, judicat, punit peccatorem, nec unquam ab ipso discedit: nullius habet rationem: Theodoricum, Neronem, Herodem, in media militum caterva fidenter aggreditur. Nisi resipueris, ad extremum usque spiritum conscientiam stimulis pungèris, & quocunque jèris, tecum habebis tortorem.

3. Huc accedit, quòd angores conscientiam morte non extinguantur: prava conscientia hominem comitabitur ad Christi tribunal, exponet crimina, & ea quidem ratione, ut ne verbulum quidem peccator dicturus sit, quo peccatum minuere, nedum diluere possit; quid plura? descendet in infernum, & æternus vermis  
damna-



damnatorum pectus exedet. Si velis conscientiae stimulis liberari, nihil unquam facias eam reluctante, & tacitis ejus monitis morem semper geras. Nihil iustius est, nihil tutius bonam conscientiam premeat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit secunda. Bern.

## S. CAROLUS BORROMÆUS.

4. Novemb.

*Novi opera tua, & fidem, & charitatem tuam, & ministerium, & patientiam tuam.* Apoc. 2.

**E**Rubescant puto ad Caroli purpuram omnes purpurati. Reditus Ecclesiasticos, nec ab illustrissimo parente aliter quam in pauperum usus verti patiebatur. Galero & infula insignis Parochorum vitam ipse inspiceret, ipse morbidas oviculas curare, ipse pro suggestu his acclamare, ipse Sacramentis pascere. Quid hic illi animarum pastores, qui suum nunquam numerant, qui neque noverrunt gregem? Atqui ille, quem diximus, tunc fecit, cum provinciam dira lues famesque popularerunt, quando, ut Christum operiret, parietes Aulæ, se lectulo etiam nudavit. Pe-